Μελανθιας (πόλις παρά την Κων/πολιν).
Νίκη. Βέρροια (Βερόη). Αδριανούπολις. Ροδόπη
(Έτος διεξαγωγής έργων το 378 μ.Χ.) Νικόπολις

Αμ. Μαρκελλίνος XXI. 11. 1.

His forte diebus Valens tandem excitus Antiochia, longitudine viarum emensa venit Constantinopolim, ubi moratus paucissimos dies seditioneque popularium levi pulsatus, Sebastiano paulo ante ab Italia, ut petierat, misso, vigilantiae notae ductori pedestris exercitus cura commissa, quem regebat ante Trajanus: ipse ad Melanthiadae villam Caesarianam profectus, militem stipendio fovebat et alimentis et blanda crebritate sermonum. unde cum itinere edicto per tesseram Nicen venisset, quae statio ita cognominatur: relatione speculatorum didicit refertos opima barbaros praeda a Rhodopeis tractibus prope Hadrianopolim revertisse: qui motu imperatoris cum abundanti milite cognito, popularibus jungere festinant, circa Beroeam et Nicopolim ingentibus praesidii fixis: atque ilico ut oblatae occasionis maturitas postulabat, cum trecentenis militibus per singulas numeros lectis Sebastianus properare dispositus est, conducens rebus publicis aliquid, ut promittebat, acturus. qui itineribus celeratis conspectus prope Hadrianopolim, obseratis vi portis juxta adire prohibebatur; veritis de-

2b

—

Αδριανούπολις

fensoribus ne captus ab hoste veniret et subornatus atque contingeret aliquid in civitatis perniciem quale per actum acciderat comitem, quo per fraudem Magnentiacis militibus capto claustra patefacta sunt Alpium Juliarum.

ΑΚΑΔΗΜΙΑ ΑΘΗΝΩΝ